For Lord Aberdour

DISSERTATIO
PHILOSOPHICA INAUGURALIS
DE
SUMMO BONO,
QUAM
FAVENTE SUMMO NUMINE
Auctoritate Dignissimi Vice-Cancellarii
NIGELLI CAMPBELL V. D. M.
S. S. T. PROFESSORIS PRIMARII, ET ACADEMIAE PRAEFECTI;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *consensu,*
et celeberrimae FACULTATIS ARTIUM *decreto,*
PRO GRADU MAGISTERII,
SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA ET ARTIBUS LIBERALIBUS,
PRIVILEGIIS, ET HONORIBUS,
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
In auditorio publico Academiae Glasguensis,
Ad diem Aprilis 25, hora 4ta post meridiem,

PROPUGNABIT
BENJAMIN DAWSON, ANGLO-BRITANNUS.

—QUOD NESCIRE MALUM EST, AGIT AMUS: UTRUMNE
DIVITIIS HOMINES, AN SINT VIRTUTE BEATI?
ET QUAE SIT NATURA BONI, SUMMUMQUE QUID EJUS? HOR.

GLASGUAE,
IN AEDIBUS ACADEMICIS
EXCUDEBANT ROB. ET AND. FOULIS ACADEMIAE TYPOGRAPHI
MDCCL.

BRITISH MUSEUM

REVERENDIS VIRIS

SAMUELI DAWSON IN MANCHESTER

ET

ABRAHAMO DAWSON IN HUDDERSFIELD

V. D. M.

FRATRIBUS SUIS

MULTIS NOMINIBUS CARISSIMIS,

ET PRAECIPUE

QUOD EORUM HORTATU

IN DULCISSIMA HAC MUSARUM SEDE,

UBI PRIUS IPSI STUDIIS LIBERALIBUS OPERAM DEDERANT,

CLARISSIMOS, HUMANISSIMOS PROFESSORES

AUDIRE SIBI CONTIGIT,

PLURIMUM SEMPER COLENDIS,

DISSERTATIONEM HANC PHILOSOPHICAM

GRATI ANIMI QUALECUNQUE MONUMENTUM

D. D.

B. D.

V. D. M.

BRITISH MUSEUM

DE SUMMO BONO

QUONIAM omnes, qui magiſterii in artibus gradum rite conſequi volunt, progreſſus quem in ſtudiis fecerint quaedam dare ſolent ſpecimina, ego hunc honorem cum Profeſſorum in hac celeberrima Academia comprobatione ambiens, de ſummo hominis bono breviter diſſerere inſtitui. placuit nempe ex illa Philoſophiae parte argumentum petere, cui praecipue operam dedi; quippe quae internos hominum mores regere profitetur, ac emendare; in qua arte, Deum teſtor! excellere, optimum ſemper atque honeſtiſſimum duxi.

SED ut ratione et via procedat oratio, libet ante definire, quid homini ſagaci et provido pro ſummo bono habendum ſit. omnis enim, quae a ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, a definitione proficiſci debet, ut intelligatur, quid ſit id, de quo quaeratur. hoc igitur, optimorum philoſophorum ſententia, tale eſſe debet, quod propter ſe eſt expetendum; quo referuntur fere omnia, ipſum vero nuſquam; quod ſummam habet dignitatem; quod ſtabile eſt, et vitam beatam poteſt praeſtare.

UT autem inveniatur quidnam ſit illud de quo haec praeclara jure praedicare queamus, ipſa humanae natu-

rae fabrica est explicanda; deinde varii dolores et gaudia percurrenda sunt, atque inter se comparanda, cum quae externis sensibus percipiuntur, tum quae ex fonte illo interno, animo nempe variisque ejus affectionibus, haurire licet. obiter vero monendum est, neminem mortalium vitam ab omni parte beatam assequi posse; quod ne sperari quidem potest; adeo nihil est in potestate nostra. ipsa corporis fabrica perquam fragilis est, periculisque indies obnoxia, neque mens humana, quae admodum finita est, et imperfecta, virtutes omnes attingere valet; imo ea est humanitatis conditio, ut felicitas nostra ex ipso malo quadam ex parte pendere videatur.

DUO igitur sunt, ex quibus homo constat; animus et corpus, quorum utrumque suas habet vires, partesque naturales. corpus mirifice et cum magna quidem excellentia, praestantiaque reliquorum animalium a natura fabricatum est. neque enim, ut verniculi et angues, in pulvere repimus, nec incurvi sumus in terram, ut pecora, quae natura finxit prona; sed forma ad dignitatem erecta, qua coelum facile suspicimus, qua solem stellasque contemplari possumus, qua ad Deum ipsum dirigi videamur. sensuum quoque organis aptissimis instructum est corpus, quae non tantum utilia sunt, atque ad vitae conservationem plane necessaria; verum etiam jucunditati, variisque voluptatibus inservientia. qualis est ea delectatio, quae ex harmonia, gratoque sonorum concentu, au-

ribus percipitur. quid referam linguam, ad vocis variaeque orationis usum accommodatam? quid oculos, nareſque memorem? et manus tot et tantarum artium miniſtras?

QUANQUAM vero corpus ad naturam hominis ſatis aptum ſit, animi tamen partibus dignitate quam maxime cedit; utpote quod huic in omnibus pareat, ab hoc regi flectique ſe patiatur, atque in uſum animi, delectationemque formatum fuiſſe videatur. nam oculus quidem ad videndum, ad audiendum aures, ad odores percipiendum nares, ad operandum manus idonea ſunt; animus autem videt, audit, percipit, et quicquid a corporis artubus perficitur, id ipſe vult, et quaſi fieri imperat. hae inferiores ſunt animi partes; aliae longe praeſtantiores, quaeque mentis virtutes appellantur; quales ſunt illae facultates, quae ſuapte natura nobis ingenerantur, diſcendi, cogitandi, ratiocinandi, in memoriam aliquid revocandi; eae denique omnes, quas qui habent, ingenioſi vocantur. has autem vincunt prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia, reliquaeque ejuſdem generis virtutes; quae quidem praecipuae, ac verae ſunt virtutes, in quibus maxima elucet dignitas et honeſtas.

SUFFICIAT in praeſens haec adumbratio breviſque hominis naturae deſcriptio; ex qua intelligitur, animum eſſe meliorem noſtri partem, corpus tamen non negli-

gendum. perſpicuum enim eſt, omnes naturae noſtrae partes nobis eſſe propter ſe caras. unde ratio utriuſque, tum animi, tum corporis, habenda eſt. illi vero, quo praeſtantior eſt, eo major debetur cura, et inter animi partes, eae nobis cariores ſunt, quae perfectiores habentur, et optima quaeque cariſſima. unde facilis quidem conjectura eſt, ſummum hominis bonum in mente ſola ſitum eſſe, iiſque virtutibus, quae ex ratione gignuntur, qua nihil eſt in homine divinius.

HISCE praedictis, veniant jam in medium corporis voluptates, quae dulci quamvis corpus jucunditate perfundant, ſuaviſſimeque titillent ſenſus, ita tamen nequaquam, ut ad eas omnia referri debeant. neque enim aut ejuſmodi ſunt hae voluptates, aut tam diuturnae, quae ſatis ſint ad beate vivendum, naturamque hominis omnibus ſuis partibus explendam: fluxae ſunt omnes ſua natura, brevique interiturae; neque ſine multis morbis, gravibuſque doloribus iis indulgere poſſumus. luxuriam ſequuntur febres, podagra, aliique corporis cruciatus, qui non, niſi nobiſcum, pereunt. quis non, amoribus omnique animi mollitiei deditus, quantumvis ſit natura robuſtus, aut cito marceſcit, aut ſenectutem aerumnoſam ducit? neque vero, quandocunque deſideratio tenet, poſſunt comparari res ipſae, quae flagrantem ſedent cupidinem. quam ingrata eſt deliciarum mollium, quarum deſiderio ardent homines, intermiſſio! quam miſerabili-

ter importunitate libidinum urguentur! quam taedet eos vitae ipſius, qui cupiditatibus ſuis ita parere aſſuêrunt, ut gaudiis ſublimioris ſenſus prorſus neſciant delectari! quid, quod ipſa virtus eſt colenda, quo etiam hujuſmodi voluptatibus, ſi non uberius, at certe ſuavius ac jucundius fruamur? neque enim ſequitur, cui cor ſapiat, ei non ſapiat palatus. aſotos vero multum ſatietatis et faſtidii capiat neceſſe eſt, atque

... inamareſcunt epulae ſine fine petitae.

quid dicam, recordationem praeteritae voluptatis minime eſſe gratam? nec, ut virtutum ſpecies, actionumque honeſtarum formae in animo renovatae, uberiori nos et nova quadam jucunditate perfundere? praetermiſſis vero aliis argumentis, in hoc ipſo potius moremur, nempe, quod minime digna eſt voluptas, cui vir inhiet atque indulgeat. hac delectantur beſtiae, quibus longe praeſtantiores eſſe homines, ipſi prae ſe ferunt; et etiam in his ineſt aliquid virtutis ſimile, ut in tauris, in leonibus, in equis videre eſt; in quibus non corporum ſolum, ut in ſuibus, verum etiam animorum aliqua ex parte motus quoſdam videmus. infimae igitur omnium ſunt hujuſmodi voluptates, et naturae noſtrae dignitati minime aptae.

NEQUE dixerit quiſquam, communi hominum ſuffragio eas maxime comprobari, ideo quod hominum bona pars iis ſolis fere inhiet. nam, quanquam hic a luxu-

rioſorum judicio provocare liceat, nemo tamen adeo perditi eſt ingenii, qui non, ſi modo animus ejus perturbatione omni vacet, virtutis dignitate commovebitur, et ab infami vitiorum ſpecie abhorrebit. nequaquam igitur has voluptates comprobant homines, vel perditiſſimi; ſed capiuntur potius blandiſſimis illis dominis, libidiniſque fervore abripi videntur. quin et ii ipſi, qui maxime his delectantur, in iiſdem gloriari non poſſunt; celant e contrario, quantum licet, idque plerumque falſis nominibus quandam virtutis ſpeciem prae ſe ferentibus. quem enim juvat, aliis cupiditates et libidinem ſuam ſignificare? quis luxuriam, animique mollitiem unquam de ſe praedicavit? imo, quis perditiſſimus non erubeſcit, ubicunque haec de ſe audit? quae omnia oſtendunt corporis voluptates non poſſe nos efficere beatos.

INTENDAMUS deinceps animum in eam delectationem, quae ex vitae cultu et ornatu oritur. et primo patet, hanc eſſe gaudiis illis, de quibus ſupra dictum eſt, longe praeſtantiorem; utpote in qua nec ineſt iſta indignitas et infamia, quae in illis, nec tam corporis animique ſaluti repugnat. at nequaquam beatae vitae ſufficit. grata enim quantumvis ſint primo adſpectu hujuſmodi vitae oblectamina, cito capit nos horum faſtidium et ſatietas. animum non amplius delectant, quam dum nova ſunt; nec ullam, certe exiguam doloris, miſeriaeque levationem praebere poſſunt. horum etiam pleraque haud

propter ſe expetuntur, quum non laeta nobis, aut glorioſa fiunt, ſine amica cum aliis conjunctione, et quatenus liberalitatis, commoditatis, aut virtutis cujuſdam ſpecie ſint ornata.

HUC accedit, quod deſiderium horum magnam ſaepe hominibus moleſtiam creat, miraſque in animo perturbationes excitat; adeo ut nec voluptas ſola, nec hujuſmodi bona ad naturam hominis accommodata videantur. aliquid autem ſtabilius requiritur, et quod animum pure tranquillet. finge homini haec omnia, quae ad vitae ornatum ſpectant, virgula divina ſuppeditari; eundemque nullo dolore vexatum, in voluptate maxima, nullo intervallo interjecto, dies noctesque verſari, cum omnes ſenſus dulcedine omni quaſi perfuſi moveantur. quis talem ſibi optaret conditionem? quis eſt dignus nomine hominis, qui unum diem totum velit eſſe in iſto genere voluptatis? omnino miſerrima erit haec vitae conditio, omnis liquidae voluptatis expers, et virtutis, quae ſola ſtabilitatem, firmitatem, conſtantiam totius vitae complectitur.

DE opibus et divitiis, nihil hic loci attinet dicere, tanquam ipſae in ſe quidquam habeant optandum; certe qui has propter ſe expetunt, omnium mortalium haud injuria miſerrimi ducuntur.

JAM vero, de voluptatibus iis ingenuis, quae ex ſenſibus oriuntur reflexis, qui vocantur, dicendum eſt. ita enim a natura conſtituti ſumus, ut non tantum viſu, et auditu, cum caeteris animalibus communi utamur; verum etiam gratum ſonorum concentum cernere nobis licet, pulchritudinem in rebus corporeis, et venuſtatem ex variis earum formis, coloribus, et partium convenientia ortam; quae omnia contemplantes, voluptate animi haud exigua perfundimur. quicunque oculos foras converterit, mirabilemque terrae ſuperficiem aſpexerit, quanta herbarum, florum, arborum, et frugum varietate diſtinguitur, protinus jucundiſſime afficietur, laetoſque in animo motus ſubnaſci ſentiet. quanta admiratione montium ſuſpicimus cacumina, ipſis coelis occurrentia! quam laetus eſt adſpectus ſylvarum, vallium, rivorum inter prata decurrentium, cum omni ruris amoenitate! quam ſuave eſt, e terra vaſtum maris campum proſpicere! ſive tranquillum aequor aſpicias, ſeu fremen-tium undequaque undarum turbas mireris. nec minus animum oblectat pulchra coelorum fabrica, ſole, luna, omnique aſtrorum choro ornata. Anaxagoras, quum ab eo quaereretur, cujus rei cauſa natus eſſet, reſpondit, ſolis ac coeli videndi. tantam nimirum voluptatem, ex hoc fonte hauriri poſſe cenſuit ſummus ille philoſophus. in artibus quoque imitatricibus, rerum imagines hominumque, una cum vocis, geſtus, motuſque ipſius ſimilitudi-

ne, accurate expreſſas, non ſine magna delectatione conſideramus.

AD uberiorem autem voluptatis fontem, cognitionem nempe, contemplationemque veri, progrediamur; quae quidem illi affinis eſt, multo vero jucundior, et homine omnino digna. innatus eſt enim in omnibus cognitionis amor; etiam a teneris annis novitate delectamur, nec animus quieſcit, aut expleri poteſt earum rerum contemplatione, quas jam attigit; progredi autem vult, et ad ignota ſe convertere. quanta doctrinae cupiditate flagravit Pythagoras? quanta Plato, Democrituſque? a quibus videmus ultimas terras eſſe peragratas. Archimedis autem quam magna fuit delectatio, animique ardor, qui, dum in pulvere quaedam deſcribit attentius, ne patriam quidem captam eſſe ſenſerit? tum quanto gaudio perfunditur mens noſtra et exultat, ut primum aliquid invenerit nodoſum ac perdifficile? veteres quidem philoſophi, dum fingunt in beatorum inſulis, qualis futura ſit vita ſapientum; eos cura omni liberatos, nullum neceſſarium vitae cultum aut paratum requirentes, nihil aliud eſſe acturos putant, niſi ut omne tempus in quaerendo ac diſcendo, in naturae cognitione conſumant. ſed ne hoc quidem voluptatis fonte expletur natura hominis. neque enim digniſſima eſt ea delectatio. omnes natura viribus inſtruxit, quae acriter eos ad agendum impellunt. majori cuidam ac digniori gaudio, quod ex vir-

tute, officiisque exsurgit honestis, sua natura inservit omnis in artibus scientiisque peritia. quid, quod nimius ardor, et quasi cognoscendi aviditas corporis saluti repugnat? ex cujus imbecillitate fiunt saepissime aegritudo teterrimique animi motus, quibus omnis vita disturbatur.

QUOD ad sympathiam attinet, sive communem istum sensum, quo gaudium aut moerorem ex aliorum felicitate seu miseria percipimus; omnibus abunde constat, hanc magnum habere momentum ad vitam, vel beatam vel miseram. adeo benigna est naturae nostrae conformatio, tam provide consuluit Deus humani generis saluti, ut hic sensus omnium sit acerrimus, et jucundissimos saepe motus in animo excitet. quotusquisque parens tam obduravit, qui non ante omnia velit liberos esse salvos et prosperitate abundanter uti! quid suavius esse potest, quam amicos et propinquos laetos hilaresque videre? quantum est gratulandi gaudium e graviore quodam periculo ereptis? quantum etiam nostrorum malorum levamen ex aliorum faelicitate oritur, qui nobis sunt carissimi? honesta quoque sunt hujusmodi gaudia, quippe quae omnia ex benignis animi affectibus prodeunt. at quis non videt omnem, quae exinde oritur, voluptatem minime penes nos esse, ex voluntate autem Dei omnino pendere? multa igitur eveniunt in hac vita mala, quae videntur, aeque nobismet ac iis, qui conjuncti-

one quadam naturae nobis ſunt cariſſimi. ex quibus ſaepe fiunt graviores animi ſolicitudines; neque ulla harum remedia afferri poſſunt, quam ut ex animo hoc nunquam excidere ſinamus, omnia optimo benigniſſimoque conſilio regi, et in totius ſyſtematis utilitatem conſpirare.

DEINCEPS de decori ac turpis ſenſu dicendum eſt; qui omnibus aliis, quos jam recenſuimus, felicitatis fontibus adeo antecellit, ut etiam ſeipſa ad beatam vitam mens ſibi conſcia recti contenta eſſe videatur. quicunque in mentem ſuam introſpexerit, hunc altiſſime a natura ſibi infixum eſſe cernet. in omnes animi motus totum ſibi vindicat imperium. neque de noſtris tantum, ſed aliorum etiam actionibus judicium fert. qua laude proſequimur virtutis cultores rectique obſervantiſſimos! qua caritate et benevolentiae ardore complectimur eos, qui modeſte ſe gerunt, qui miſericordiam, benevolentiam et erga omnes omnem bonitatem colunt! quanta admiratione animum intuemur altum, conſtantem, rebus externis inconcuſſum, et ſolam in omnibus ſpectantem honeſtatem! quam beatos denique et felices eos autumamus, qui, ob praeclara aliqua facinora et honeſta, etiam certis periculis fortia opponunt pectora! ne Regulus quidem miſer eſt cenſendus, imo, quam illuſtris, quam deo ſimilis eſt, et dignus quidem qui nunquam mortem obeat, dum pro patriae ſalute orat, et vincula, tormenta, mortem ſibi ultro poſtulat! ſed quid verbis opus eſt? a-

bunde quoſque hic divinior ſenſus remuneratur, qui praeſtantiora et humaniora vitae officia praeſtant; contrariorum vero omnes piget pudetque.

JURE itaque ſilentio praetermittantur gloria et honores, quoniam, quamvis omnibus inſitus eſt acer quidem laudis ac vituperii ſenſus, nihil tamen glorioſum aut laudabile eſſe poteſt, quod non rectum et honeſtum ſit. quicunque enim vanos imperitorum plauſus adfectans, laudes, quas nequaquam meruit, concupiverit, diuturnam et ſolidam gloriam haud unquam conſecuturus eſt; optimis vero quibuſque et ſapientiſſimis contemptui habebitur; quippe alienis bonis gloriatur, et pennis non ſuis ſe exornat. vera autem gloria radices agit ſtabiliſque in aeternum manebit, ad quam ſola atque unica via eſt, ut, quales videri volumus, tales etiam ſimus. ex quibus intelligere licet, hunc ſenſum praecipue nobis fovendum eſſe, eamque voluptatem, quae ab hoc comprobari non poteſt, certe quaecunque huic repugnat, nequaquam eſſe appetendam, ſed fugiendam et contemnendam.

RESTAT jam ut comparatio fiat dolorum, qui graviſſime vitam humanam vexant, ut hos praecipue fugiamus et depellamus. dolorum autem tres enumerantur fontes; nempe externi ſenſus, ſympathia ſive communis ſenſus, et conſcientia. quanquam enim ſenſibus iis

reflexis (de quibus ſupra) quaedam nonnunquam nobis ingrata percipiuntur; ut in ſonis diſcrepantia, in rebus corporeis formae inconcinnae et partium convenientia carentes. quae tamen exinde oritur moleſtia adeo levis eſt, ut vix mentione digna ſit. quin ſi ad rem ipſam attentius animum intendamus, patebit hanc moleſtiam qualemcunque aliqua ex parte, haud ſcio an prorſus, ex aliis cauſis oriri. neque enim formis rerum quibuſcunque quidquam in nobis doloris excitari poteſt, ſed idearum potius conjunctio, et ſaepe nimia voluptatum, quae ex hiſce ſenſibus oriuntur, deſideria aegritudinem et moleſtiam afferunt.

EADEM fere de cognitione ſunt dicenda, atque omnibus bonis externis; nempe, ſi quis voluptatum, divitiarum, honorum, earum denique rerum, quaecunque non ſunt in noſtra poteſtate, nimia cupidine flagraverit, animus ejus ſaepiſſime excrucietur neceſſe eſt. non quod ipſa harum inopia moleſtiam cuiquam neceſſario creat, ſed quod falſa de his et vanae foventur opiniones. hoc itaque in univerſum dicere ſufficiat, neminem ideo miſerum eſſe cenſendum quod bonis iis externis, quae aliis competunt, ipſe careat, ſi modo aequus animus non deficiat.

GEMMAS, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas,
ARGENTUM, veſtes getulo murice tinctas
ſunt qui non habeant, eſt qui non curat habere.

ALIUD de corporis doloribus dicendum, quos constat permagnum habere momentum ad vitam miseram, praesertim si sint graviores. neque enim, ut Stoici contendunt, nihil ad nos pertinent externi dolores; quoniam ita inter se connectuntur animus et corpus, ut, si qua in membris prava, fracta, aut debilitata sint, animus sensu doloris acutissimo afficiatur. neque tamen pro summo malo sunt habendi. possunt esse horum multa levamima. nam, ut omittam quod medicinae ars efficere valet, illud Epicuri medicamentum haud contemnendum est,

si dolor gravis, brevis; si longus, levis.

praeteritorum etiam dolorum meminisse nequaquam est ingratum; imo dulce est saepe mala illa respicere et etiam aliis narrare, a quibus jam benigna Dei providentia liberamur. nec praetereundum est silentio, vix cuiquam deesse amicos, qui adversis rebus succurrant, et consolatione saltem dolorem levare tentent, hoc vero summum est solatium, quod dolor nihil habet in se turpe aut pudendum. corpus quamvis graviter quidem excruciare potest, animum tamen optimam nostri partem nihilo deteriorem reddit. penes quemque est internos mores incorruptos servare, nec falsis de rebus opinionibus teneri, quantumvis corporis injuriis sit affectus. quid, quod infortunia, damna, et omnia externa mala ampliorem locum praeclaris multis virtutibus praebent, ubi se ex-

erceant augeantque. dolor igitur non ita metuendus est, si modo vitiorum animi expertes internam tranquillitatem servemus.

ACERBIOR vero et saepe diuturnior est miseria illa, qua ex aliorum infelicitate afficimur. quid enim gravius, quid deterius, praeter ipsum vitium, cuiquam accidere potest, quam amicos suos et propinquos rebus adversis afflictos, doloribusque saevis laborantes aspicere? videmusne ut solliciti sunt parentes pro liberis, graviore quodam periculo intentato? ut mutuo commoventur affectu? ut intime dolent iniquam eorum sortem? et quid arguit ille pallor oris, illa vultus tristitia, lachrimaeque plenis oculis obortae?

ACERBAE quidem sunt hae aerumnae, animumque valde excruciant; neque tamen omnium gravissimae sunt; quia nequaquam turpe est; sed honestum, et laudabile, aliorum infortuniis commoveri, quantum in nobis situm est, dolorem levare, et, quum homines simus,

HUMANI nihil a nobis alienum putare.

magno etiam nobis ex usu erit recta ratio suadens, ne immodice iis doleamus, quae nullo modo praecaveri possunt. licet nobiscum reputare humana omnia fluxa, incerta, brevis dieculae spatio interitura, et, quod maxime profuerit, Dei providentia, vel efficiente, vel sanctissime permittente omnia evenire.

ANIMUS igitur depravatus ſceleriſque ſibi conſcius ante omnia miſer eſt habendus. graviſſimam eſſe longeque acerrimam, quae hinc ſubnaſci ſolet moleſtia, ex eo ſatis conſtat quod, in ſumma quamvis voluptatum copia degatur, ut primum tamen ſenſu flagitiorum quorundam et pravitatis ſuae commovetur animus, nihil jucunde, nihil ſuaviter ab hominibus percipi poteſt. in omnibus gaudiis et voluptatibus immiſcent ſe amaritudo, angor, tetricique animi motus. continua viget de Deo, hominibuſque ſuſpicio, ne pro meritis ſibi rependant. neque ulla eorum, quae externi doloris levamina ſunt, ex uſu erunt ad inquietum animum, ſceleriſque ſui ſenſu vexatum, leniendum. tempore non levatur hujuſmodi dolor; ſed et diuturnus et gravis eſſe poteſt. turpiter et prave factorum recordatio ſemper erit moleſta, odioſa, et interdum etiam intolerabilis. nec refert quicquam quoſdam improbos adeo obdurare, ut omnem fere ſenſum turpis ac decori amiſiſſe videantur. quanquam enim ſtupore quodam conſcientiae ad tempus quieſcat animus, nequit tamen fieri ut diu reprimatur, nedum prorſus extinguatur vitiorum turpitudo; quae, ut menti rurſus objicitur, novas ſibi vires adſciſcit, ſaevioribuſque verberibus animum urget. ſed quid multis moror? num cuiquam in dubio eſſe poteſt, quin ſummum malum in eo recte conſtituatur, quod omnes homines, utcunque

diſcrepare inter ſe videantur, turpiſſimum eſſe fatentur, et communi ſuffragio damnant.

HUIC affinis eſt infamia, de qua ſufficiat dicere, ſi falſa ſit, contemnendam eſſe potius a viro bono, quam metuendam aut pro malo habendam; ſin autem vera ſit, quod habet in ſe mali, totum fere huic fonti, turpis nempe ac decori ſenſui acceptum referendum eſſe.

VARIIS igitur gaudiis doloribuſque, (praecipuis certe) qui hominibus competere poſſunt, percurſis et quaſi ad calculos vocatis, patet quidem turpis ac decori ſenſum, maximum afferre momentum ad vitam beatam vel miſeram. quin ut aequior fiat voluptatum humiliorum comparatio, ſecernenda ſunt quaecunque ſublimioris ſenſus in hiſce ſe immiſcere ſolent; quibus detractis, voluptas vix ac ne vix quidem expetenda videbitur. quis enim eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes qui illis, aeque ac tu ipſe, gauderent? quae tanta ſuavitas ex cibis et potione percipi poſſet, ſi amici iique omnes quos caros habeas, e convivio amoverentur? unde opum, facultatum, eorumque omnium quae pecunia parantur, equorum, famulorum, veſtis egregiae, vaſorum pretioſorum tanta hominibus cupiditas, niſi ut qui haec poſſident, magnifici, liberales, generoſi ab aliis habeantur? unde tam cupide homines ſectantur

gloriam, potentiam, honores, nisi quod aliquid dignitatis et honesti in his esse existimant? tanta vis est hujus recti et honesti sensus, ut absque eo nihil laetum nec amabile esse possit!

EX quibus omnibus breviter expositis colligere licet, non ad voluptates fruendas, nec ad contemplandum solum, sed ad majora hominem esse natum; ad agendum nempe ex virtute, quae quidem seipsa ad beatam vitam contenta esse videtur. neque enim dubitandum est, quin hujus (ut ait Cicero) compotes homines, magno animo erectoque viventes semper sint beati; qui omnes motus fortunae, mutationesque rerum et temporum leves et imbecillos fore intelligant, si in virtutis certamen venerint. illa enim, quae ad corpus spectant bona, complent ea quidem beatissimam vitam, sed ita ut sine illis possit beata vita existere. ita enim parvae et exiguae sunt istae accessiones bonorum, ut, quemadmodum stellae in radio solis, sic istae in virtutum splendore ne cernantur quidem.

NUNQUAM autem ex animo debet excidere, omnia bona a Deo ad nos pervenire; non e terra, ut pabulum bestiis nascitur, sed e coelo descendere hominibus quicquid bonum, quicquid laudandum, quicquid dignum et honestum est. eo igitur dirigenda est mens, quo vultus

est erectus et ipsa corporis forma provocat. Deum sanctissime colamus, toto pectore amemus, eumque, qui solus est verae ac simplicis sapientiae dator, obnixe invocemus, ut omnibus bonis et virtutibus nos exornet.

PROPOSITIONES ANNEXAE.

I.

Ideae in mente excitantur ſenſationis et reflectendi vi.

II.

Deus eſt bonus, et non tantum ſecreto ſed palam et publice eſt colendus.

III.

1. Innatus eſt in omnibus turpis ac decori ſenſus.
2. Hic ſenſus praecipua eſt, et longe praeſtantiſſima noſtri pars.
3. Huic omnes ſenſus, affectus, et appetitus ſubjiciendi ſunt.

IV.

Utrum ignis ſit corpus ſui generis, an non, nondum adhuc determinatur.

V.

Corpus non recte definitur, quod eſt extenſum; ſed extenſio eſt ab omni corpore diverſa.

FINIS.

BRITISH
9 JU 92
MUSEUM